

patur, quippe in vitæ socialis sufficientia unice introductus. *Conf. Habn. in Wesenbec. tit. de Condiēt. ob turp. caus. num. 2. vers. ut si meretrici.*

Idque indistincte procedit, sive mulier sponte quæstum fece- 34
rit, sive paupertatis necessitate adaeta. Licet enim lugubri sibi
fame pereundum esse metuat scortum illud Plautinum *in Cistellar.*
act. 1. scen. 1. si filiam suam viduam cubare sinat, honestius tamen
sentit senex ille *apud eundem in Captiv. act. 2. sc. 2.*

Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existimo:

Scio ego, multos jam lucrum lutulentos homines reddidit.

*Est etiam, ubi profecto damnum præstet facere, quam lu-
crum.*

Odi ego aurum, multa multis saepe persuasit perperam.

Idem etiam dicendum est, etiam si meretrix Amasio suo jurato 35
fidem dederit de nullo alio viro admittendo. Nam uti jurata illa
promisso meretricem non constituit extra turpem amicitiam vel
rectius vitam meretriciam; sed eam magis in ea confirmat, *Fa-
gundez. in Decal. tom. 1. præcept. 2. libr. c. cap. 24. num. 19. Dia-
na tract. 4. resol. 56. §. 1. pag. 76.* ita quæstum meretrici datus
eadem promissione non desinit esse meretricius & turpis. Quæ 36
ejus turpitudine adhuc magis declaratur in Jure Divino, ubi DEUS
expresse interdixit, ne voti exsolvendi nomine merces prostibuli
vel pretium canis offerretur, *Deut. 23. vers. 19.* In quo textu
uti illud, quod habetur de mercede meretricis, expeditum est: ita
quidnam ibidem sibi velit Pretium Canis, non eadem omnium
sententia est. Quod enim distincta sint merces meretricis & pre- 37
tium Canis, non autem unum alterius interpretativum, satis ex
ratione adjecta liquet, quia utrumque Domino DEO dicitur abo-
minationi esse: Idcirco alii per pretium canis proprie pretium in- 38
telligunt ex venditione canis redactum, ut illud quoque accipit
Andr. Tiraquell. de LL. connub. in l. 9. num. 183. & sic de merce-
trice & cane conjunctus aliquid proponi tradit ob tertium istud,
in quo conveniunt, nempe impudentiam: secundum *Hiero-
nymum enim in Esaiam cap. 66.* pulchre canis & meretrix copulan-